



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

12. An peccatum invidiae ratione parvitas materiae sit aliquando tantum  
veniale? Ex p. 5. t. 5. r. 67.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

RESOL. XII.

An peccatum invidia ratione paruitatis materie sit aliquando tantum veniale? Ex part. 5. tract. 5. Ref. fol. 67.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue nam licet inuidia ex genere suo peccatum sit mortale, tamen ratione leuitatis materie potest per accidens esse veniale; si enim quis doleret de aliqua re leui, in qua non posset proximum aquare, & que si ab eo auferretur, non esset illi magnum detrimentum, non diceretur peccare mortaliter. & ita docet Duallius in 2. 2. D. Thome tractat. de charitate quest. 12. circa finem & alij.

RESOL. XIII.

An quando ex leuibus indiciis quis temere, & voluntarie de proximo suspicatur, peccet mortaliter? Et in textu huius Resolutionis adducuntur conditiones, quas habere debet iudicium temerarium, vt sit peccatum mortale. Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 31.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Angelici Doctoris doctissimus interpres Franciscus Syluius in 2. 2. D. Thom. qu. 60. art. 3. qui citat Bannez, Aragon, & Salonium, & hanc sententiam sequuntur Sotus de iust. lib. 3. q. 4. art. 5. Molina de iust. tract. 4. disp. 17. num. 10. Medina de instruct. confess. lib. 1. cap. 14. §. 37. Villalobos in sum. 10. 2. tract. 14. diff. 19. n. 3. Turrianus in 2. 2. D. Thom. tom. 2. disp. 4. dub. 3. n. 7. & alij quando suspicio esset de graui scelere circa personam honestam, vt de heresi, de incestu cum matre, de prodicione ciuitatis, &c.

2. At contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Ioannes de la Cruz in direct. pr. 8. qu. 1. dub. 2. concl. 2. qui citat Caietanum, Rosellam, Armillam, & Lopez. Idem tenent Taber de restit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 5. c. 1. n. 10. Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 1. part. 2. c. 2. n. 6. Nauarra de restit. lib. 2. c. 4. n. 454. Caietanus in 2. 2. q. 60. art. 3. & in sum. ver. iudicium, cum aliis. Et ratio est, quia nullum iudicium citra certitudinem, est peccatum mortale, vt ait D. Thomas, sed ista certitudo tollitur non solum per dubitationem, qua in neutram partem declinat, sed etiam per suspensionem, & opinionem, quia etsi suspicio, & opinio vni parti magis adhaereat, non tamen id fit sine formidine alterius: ergo, &c. Igitur suspicio de re graui si non habet assensum firmum, nunquam erit peccatum mortale. Vnde ex his ego puto multos penitentes falsò, sed ignoranter se accusare de iudiciis temerariis; nam vt iudicium temerarium sit peccatum mortale, opus est vt efficiatur sine iudiciis sufficientibus. Secundo, ex plena deliberatione. Tertio, certo, & sine vlla formidine, qua omnia raro simul concurrunt in homine male de proximo iudicante, & praesertim tertium requisitum, nam multi iudicant cum formidine alterius partis, & tunc non est iudicium temerarium mortale. Sed circa praesentem quaestionem vide praeter DD. citatos Tannerum in 2. 2. D. Thome disp. 4. q. 3. dub. 2. n. 39. Filiucium 10. 2. tract. 40. c. 1. n. 12. & seq. Lessium lib. 2. c. 29. Aub. 3. n. 16. Valentiam 10. 3. disp. 5. q. 4. punct. 7. Reginaldum in praxi tom. 2. lib. 24. c. 2. n. 26. & seq. & Ledesinam in summa tom. 2. tr. 8. c. 2. concl. 5.

RESOL. XIV.

An in iudicio temerario detur paruitas materia? Et an sit peccatum mortale temere iudicare alterum esse spurium, vel filium Iudaei, aut illegitimum, &c. Ex part. 5. tr. 5. Ref. 68.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, vt quando quis temere iudicat de altero in re leuis momenti, non enim erit peccatum mortale, & ita docet Lessius lib. 2. c. 29. dub. 2. n. 14. vbi etiam docet non esse peccatum mortale temere iudicare alterum esse spurium, vel filium Dei illegitimum, quod etiam tenet Petrus Nauarra de restit. lib. 1. c. 4. n. 450. Azorius part. 3. lib. 13. c. 11. q. 4. & alij. Sed nouissime hanc sententiam refellit noster doctus Fidei quaesitor Ioannes Escobar tract. de puritate & Nobilitate probanda part. 1. q. 8. §. 2. n. 33. cum multis aliis, quia etsi praedictae qualitates, postquam homini in natuitate coherent, naturales sunt, nec possint ei imputari, tamen cum valde inter nos exultationem ledant, & infamiam notam iniurant, iudicium temerarium circa eas, non in re leui, sed in re grauissima proximum ledit, & apud omnes opinionem eius minuit. Verum ego puto vtramque sententiam probabilem esse, nisi forte per tale iudicium temerarium, proximum contemnas, aut infames, vt ab aliquo officio, aliove bono consequendo inique impedias, nam in hoc casu peccatum lethale adesset.

Sup. hoc lege doctrinam praecedentis. Ref.

RESOL. XV.

An in detractioe detur paruitas materia? Et inter alia, que pro praxi praedicta difficultatis adducuntur, tandem quaeritur, an sit mortale dicere in faciem, praesertim viro honorato conuiciandi causa esse filium Clerici, natum ex adulterio, & similia? Ex part. 5. tr. 5. Ref. 69.

§. 1. **L**icet ex genere suo detractio sit mortalis, tamen ratione leuitatis materie, in qua quis intendit famam alterius ledere, potest esse veniale, vt si ex industria aliquam paruum imperfectionem de aliquo narres, & ita tenet Lessius lib. 2. cap. 11. disp. 3. num. 11. Hinc narrare defectus veniales proximorum, non erit nisi veniale, nisi forte conditio personae talis esset, vt in ea huiusmodi defectus censeatur non leuis, sed magni momenti; vt si v. g. secundum aliquos diceret de viro graui, & religioso esse mendacem, & sepius mentiri; nam dicere illum senel, vel bis mentium, clarum est non esse mortale. Idem dicendum est ordinariè non esse lethale, reuelare defectus naturales (nisi inde aliquod notabile damnum sequatur) siue illi defectus sint animi, siue corporis; vt si dicas quempiam esse ignatum, parui iudicij & ingenij, siue esse caecum, gibbosum, &c. Et Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 307. cum aliis idem censet dicendum esse in defectibus natalium; vt si quis dicat aliquem esse filium Clerici, natum ex adulterio, & similia; nisi forte propterea putaretur valde in animo eorum, quibus dicitur, contemnendus. Si tamen in faciem haec & similia, praesertim viro honorato, dicantur conuiciandi causa, erit peccatum mortale, quia censetur tunc non leuis, sed grauis contumelia; secus si vilis sit conditio, nisi forte grauem meorem putetur concepturus. Et tandem dicendum est non esse peccatum mortale, si in genere dicas aliquem esse superbum, auarum, iracundum, &c. quia haec nomina ordinariè non ita accipiuntur, vt sonent peccata mortalia, sed vt naturalem inclinationem,